

sanguinem Rom. III., 25. tanquam potio- rem tanti meriti partem, haud ignarus, sanguine hoc diuino coemptam esse totam Ec- clesiam, Act. XX, 28. et sine sanguine nullam esse peccatorum mundationem, nullam remissionem, Heb. IX, 22. utpote quae unice ex redemptione in sanguine Christi propullulat, Eph. I, 7. Colof. I, 14. Cur vero non aliam redemptionis Christi par- tem nisi solum eius sanguinem in tanto negotio recensere vo- luerit Euangelista, haec potissimum videtur esse ratio, quia non solum ad conspectum sanguinis e corpore vivo ebullien- tis exhorrescere et contremiscere solemus, sed et homini in sta- tu naturali considerato nil unquam carius, nil pretiosius esse potest vita, ipso etiam Diabolo hoc fatente, Iob. II, 4. idque praep- rimis, quia simulac mortis iniicitur mentio, confestim animo nostro ea obuersatur cogitatio, nullum hinc patere re- ditum ad vitam praesentem, Iob. XIV, 10. 12. Cum igitur vita corporis est in sanguine, sicuti de brutis expresse dicitur Lev. XVII, 14. Deut. XII, 23. hinc internecionem, qua alteri etiam homini vita adimitur, Scriptura sanguinis effusionem nominare, et effusori vindictam sanguinis, ac diras poenas quascunque interminari consuevit, Gen. XXXVII, 22. C. XLII, 22. Num. XXXV, 33. Deut. XIX, 10. 13. C. XXII, 8. C. XXXII, 43. Ios. II, 19. Iud. IX, 24. 1. Sam. XIX, 5. 2. Sam. III, 27. 28. 2. Sam. IV, 11. 1. Reg. II, 33. 2. Reg. IX, 7. C. XXI, 16. C. XXIV, 4. Ps. LXXIX, 3. 10. Ps. CVI, 38. Ierem. XIX, 4. Thren. IV, 14. Matth. XXIII, 30. 35. Rom. III, 15. Proinde totum Christi meritum cariori & honorificentiori titulo *Iohannes* mactare non potuit, quam ut *Sanguinem Christi* illud nuncuparet.

§. III.

Et hac ratione Antitypo etiam in sacrificiis V. T. praefi- gurato satisfacere voluit, in quibus quotiescunque sanguinem comparere cernis, toties diuinum illum Christi Sanguinem inibi adum-